

De factis prodigiosis

Midae (cuius imperio Phrygia subiecta fuit) puero dormienti formicae in os eius grana tritici conghesserunt¹. Parentibus deinde explorantibus sensum huius prodigii augures responderunt illum omnium mortalium ditissimum fore. Nec vana praedictio extitit²: nam Mida cunctorum paene regum opes abundantiam pecuniae antecessit et infantiae incunabula³ vili munere deorum donatam compensavit onustis auro argentoque gazis⁴. Formicis Midae iure⁵ meritoque apes Platonis anteponendae sunt: illae enim caducae ac fragilis felicitatis, hae solidae et aeternae famae indices exstiterunt, cum mel inseruissent labellis parvuli Platonis in cunis dormientis. Qua re audita, prodigiorum interpretes singularem suavitatem eloquii ore eius emanaturam esse dixerunt. Ac illae apes quidem, quae non montem Hymettium⁶ floribus redolentem sed Musarum Heliconios colles⁷ depaverant⁸, Platoni dulcissima alimenta summae eloquentiae instillaverunt.

da Valerio Massimo

(Anna Bongiorno)

¹ Congero, is, essi, estum, ere = conferre

² Exsisto, is, stiti, ere = risultare, rivelarsi

³ Incunabula, orum = culla

⁴ Gaza, ae = aerarium regis, thesaurus

⁵ Iure = avverbio

⁶ Imetto: monte nei pressi di Atene, famoso per il miele che vi si produceva

⁷ Eliconia: colle vicino a Tebe, considerato una delle sedi delle Muse

⁸ De + pasco, is, pavi, astum, ere